

morali plerumque, et mystica interpretatione. Exegetica opera quae absque dubio ad Gregorium M. pertinent sunt *Libri XXXV Moralium in Iob, Homiliae XXII in Ezechielem, Homiliae XI in Evangelia*, quibus addi potest expositio in lib. 4 Regum, quae tamen creditur ab eius discipulis paullisper immutata et interpolata fuisse. Quamvis S. Gregorius in praefatione in *Libros Moralium* expresse doceat allegoriarum fructus ex historiae radice derivandos esse, historicum tamen sensum non semper sequitur, et saepe neglecta litera ad allegorias, et ad morales sensus excurrit. Negari tamen non potest in hoc temperamentum ac sobrietatem adhibuisse, eiusque morales praesertim expositiones minime contortas esse, sed spontaneas, spiritu plenas, et lectoribus utilissimas. Optima editio est Maurina Parisiis 1705 IV Vol. in fol.

S. *Isidorus Hispalensis* († 636) praecipuum hispanicae Ecclesiae lumen inter plurima doctissima opera pauca admodum exegetica reliquit, scilicet *lib. De Allegoriis S. Scripturae, Quaestiones in V. T. et Librum numerorum* qui in Sacris Scripturis occurrunt. In omnibus fere praecedentium Doctorum, imprimis Augustini et Gregorii expositiones ac sententias colligit, aliaque de suo ingenio adiecit plerumque allegorica et mystica.

Ven. *Beda* († 735) Ecclesiae Anglicae, et Benedictinae familiae decus in Scripturis exponendis plurimum insudavit, et in omnes fere libros commentarios reliquit. Scilicet *Libros IV in Genesim*, quos in scripsit *Hexameron, Comm. in Pentateuchum*, item libros III de *Tabernaculo et Vasis eius ac vestibis Sacerdotalibus*, Expositiones allegoricas in *Samuelem* prophetam, in *Libros Regum quaestiones XXX*, et alia usque ad *Explanatorem Apocalypsis*. Bedae commentarii plerumque ex praecedentium Doctorum scriptis excerpti sunt, ut ipse fatetur in Praefatione ad *Comm. in Marcum* et in *Lucam*, ita tamen ut aliorum Doctorum verba maioribus literis initialibus a suis distingueret, et enixe deprecaretur ut transcriptores eius operum eadem distinctionis signa servarent, quod tamen deinceps facere neglexerunt. Licet Ven. Beda distinctionem sensuum in literalem, allegoricum, anagogicum, et moralem agnoscat, saepe tamen literali praetermisso, mysticos sequitur, qui aliquando non nisi allegoricae accommodations sunt. Scripta huius sancti Doctoris exegetica utilissima sunt tum interpretibus, tum animarum pastoribus, et facilitate quadam styli, atque expositionis praecellunt.

CAPUT III.

OPERA EXEGETICA DOCTORUM MEDII Aevi (SAEC. VIII—XV).

Quamvis verum non sit medio aevo sacrarum literarum studia neglecta prorsus iacuisse, quinimo in monasteriis potissimum viri doctissimi numquam defuerint qui hanc aliasque disciplinas summo ardore prosequerentur, fatendum tamen est omnia, vel fere omnia exegetica opera huius temporis minime nova et originaria fuisse, sed ex praecedentibus auctoribus excerpta. De his pauca dicturi ea in tres classes distribuemus, nempe 1° *Catenas* in Sacram Scripturam, quae potissimum apud Graecos apparuerunt, 2° *Glossas* vulgatas apud Latinos, quibus adiungendae sunt *adnotationes*, et *postillae*, 3° *Commentarios* proprie dictos.

I. *Catena*e apud veteres dicebantur expositiones quaedam Sacrae Scripturae ex textibus antiquiorum Doctorum conflatae. Huiusmodi opera satis multa innotuerunt potissimum ex graecis interpretibus Origene, Chrysostomo, Theodoro et Cyrillo Alexandrino excerpta, in quibus etiam plura testimonia conservata sunt ex operibus aliunde deperditis. Huiusmodi compilationis exemplum dederat saeculo VI Procopius Gazaenus per suam *Catenam in octateuchum*, quem recentius imitatus est *Nicetas Heracleensis* (saec. XI) et deinceps alii. Plures ex his catenis MSS. in bibliothecis asservabantur, unde illas emerunt, et ediderunt recentiores nonnulli, inter quos eminent Petrus Possinus, et Balth. Corderius, S. I. cuius *Catena graecorum Patrum in Psalmos* Antverpiae 1643 caeteris praestare videtur (1). Ex latinis autem simul et graecis Patribus catenam in quatuor Evangelia confecit S. Thomas Aquinas, quae vulgo *Catena aurea* dicitur, et a nonnullis *glossa continua* in quatuor Evangelia appellata fuit, in qua S. Doctor singulorum versuum aut maiorum sectionum interpretationes ex plus quam LXXX latinis, graecisque optimis et antiquis interpretibus excerptas ipsis eorum verbis exhibi-

(1) Titulus operis est: *Expositio Patrum Graecorum in Psalmos*. Antverpiae 1643: quam Corderius ex mss. Bibliothecae Caesareae Viennensis, additis codicibus Bavaricis Bibl. Monasteriensis, se edere testatur in *Praefatione* ad lectorem.

bet. Omitendum non est catenis istis non semper fidendum esse quod pertinet ad operum excerptorum genuinitatem, quum non raro ob criticos defectum opera spuria citata inveniuntur, aut unius Scriptoris testimonia alteri tribuantur.

II. *Glossae* in S. Scripturam, ut alias innumus, medio aevo vocabantur breviores quaedam Vulgatae Latinae expositiones communi usu receptae. Duae proprie dictae glossae distinguendae sunt scilicet *ordinaria*, et *interlinearis*, quibus postea paulo uberiores duae accesserunt quae vocatae sunt *postillae*, et *adnotationes ad postillas*.

Glossa ordinaria concinnata fuit a Walafrido Strabone Abbate Monasterii Angiensis saec. IX. Excerpta est ex commentariis praesertim Hieronymi, Augustini, Gregorii M. et Rhabani Mauri: dicta autem est ordinaria ob generalem eius usum apud scholas et scriptores medi aevi, tantique eam fecerunt scholastici doctores, ut Petrus Lombardus eam antonomastice passim appellet *auctoritatem*, et S. Thomas in commentario praesertim Epistolarum Pauli eam ad solvendas quaestiones frequenter allegaverit.

Glossa interlinearis saec. XII apparuit opera Anselmi Laudanensis. Dicta est interlinearis, eo quod in exemplaribus Vulgatae Latinae inter lineas inscribi solet cum brevissima sit, nec continuam expositionem, sed seiunctas notulas in obscuriora loca complectatur. Prior vero glossa solebat in marginibus exemplarium Vulgatae apponi, ideoque posset marginalis appellari. Glossa interlinearis non tantae auctoritatis ac ordinaria unquam fuit, tum quia voces potius quam sensum saepe explicat, tum quia expositiones minus accuratas et a longe petitas, et etymologias saepe ineptas ac plane ridiculas proponit.

Postillae ita dictae ex eo quod recitatis verbis textus, et post illa notas adiectas contineat, editae fuerunt a Nicholao Lirano saec. XIV († 1340) et paulo uberiore Scripturae expositionem quam glossae sistunt. Auctor Lirae in Normannia natus, ex parentibus Iudaeis in graeca et hebraica literatura familiariter versatus, deinceps vero catholicam Ecclesiam, et ordinem S. Francisci ingressus opus suum magno labore, summaque diligentia in usum Christianorum exaravit, quod proinde magno usui interpretibus esse potest. Licet enim allegoriis, et moralibus dogmaticisque ob-

servationibus satis indulgeat, praecipue tamen literalem sensum, et plerumque subtiliter accurateque proponit.

Adnotationes seu additiones ad postillas Nicolai de Lira adiecit Paulus Burgensis in Hispania Episcopus († 1435) item ex Iudaeo christianus, et graecae, hebraicae et rabbinicae doctus, in quibus Liranum uberius explicat, non raro etiam reprehendit ac corrigit.

Haec omnia deinceps in unum corpus conflata sunt quod amplioris commentarii locum tenere potest sub hoc titulo: *Biblia Sacra cum glossa ordinaria a Strabone Fuldensi, et postilla Nicolai Lirani, additionibus Pauli Burgensis ac Matthiae Thoringii repletis Theologorum Duacensium studio emendatis*. Tomi VI. Antnerpiae 1634.

III. *Commentarii* etiam proprie dicti, licet non multi, per hanc aetatem apparuerunt, ex quibus sufficiat praecipuos indicare sive Graecorum sive Latinorum.

Ex Graecis, ceteris omissis, tres celebriores interpretes commemorabimus Oecumenium, Theophylactum, et Euthymium.

Oecumenius Tricensis Episcopus (saec. X) commentarios reliquit in *Actus Apostolorum*, *Epistolas Paulinas* et *Epistolas Catholicas*. Eius expositiones plerumque ex antiquiorum scriptis imprimis Chrysostomi et Theodreti excerptae sunt, quibusdam tantum hac illuc adiectis; perspicuae tamen sunt, literales, clarae, ideoque interpretibus N. T. apprime utiles praesertim in obscurioribus loquutionibus declarandis, quae in Pauli epistolis occurrunt.

Theophylactus Archidensis Bulgarorum Archiepiscopus († 1107) commentarios reliquit in *Prophetas minores*, et *Libros omnes N. T.* Vulgo creditur hosce commentarios nihil aliud praesferre quam epitomen homiliarum S. Iohannis Chrysostomi, quem titulum etiam gerunt in quibusdam codicibus MSS. Quod quidem eo tantum sensu verum est quod plurima in his commentariis ex Chrysostomo deprompta fuerint; his tamen Theophylactus multa de suo adiecit minime spernenda, morales praesertim explicationes.

Euthymius Zigabenus saeculi XII scriptor († 1118) plures Sacrae Scripturae libros explanavit Chrysostomi interpretationes imprimis sequutus. Supersunt eius Commentarii in Psalmos, in quatuor Evangelia, in Epistolas Paulinas, et in Catholicas. Quemadmodum Theophylactus, brevis est, clarus et accuratus in sensu literali exponendo imprimis epistolarum Paulinarum.

Ex Latinis plures occurrunt per hanc aetatem Scripturae interpretes ex quibus celebriores quosdam et utiliores laudabimus.

Alcuinus († 804) Anglus Diaconus Eboracensis, et scholae palatinae Caroli M. magister et praeses Scripturis exponendis sedulam operam navavit, quamvis plerumque ex latinis Patribus suas interpretationes hauserit. Omissis eius laboribus in Vulgatae latinae emendatione alias commemoratis, extant Alcuini responsiones ad interrogationes quasdam de *Lib. Genesis*, interpretatio quorundam Psalmorum, Commentarius super *Ecclesiasten*, Compendium in *Cant. Cantic.*, Libr. VIII Commentariorum in *Iohannem*, Tractatus super tres Pauli Epistolas ad *Titum*, *Philem.* et *Hebr.* et Commentatio brevis in *quasdam Pauli sententias*, denique libri V Commentariorum in *Apocalypsin*. Commentarius in *Ecclesiasten* ex simili opere S. Hieronymi depromptus est, plerumque ne mutatis quidem verbis: Commentarii in *Iohannem* maximam partem ex Augustino, et Beda hausti sunt: idemque plus minus de ceteris dicendum, in quibus expositiones Hieron. August. Ambros. Greg. M. Bed. aliorumque passim refert. Nihilo tamen minus apta rerum dispositione, planoque stylo Alcuini opera se commendant, ac interpretibus utilia sunt. Alcuini discipuli fuerunt Haymo, et Rhabanus.

Haymo Alberstadiensis († 853) multa in S. Scripturam edidisse dicitur, quorum tamen nonnulla dubia sunt, et fortasse Remigio Antissiodorensi tribuenda. Extant sub eius nomine commentarii in Psalmos et Cantica, in *Isaiam*, in *Proph. minores*, in Pauli Epistolas et *Apocal.* nec non homiliae in *Evangelia* totius anni. Iuxta morem Alcuini aliorumque illius aetatis interpretum antiquiores commentarios excerpti, et in compendium redigit.

Rhabanus Maurus († 856) monachus, deinde Abbas Fuldensis, ac demum Archiepiscopus Moguntius, et ipse ex celebrioribus Alcuini discipulis, graece et hebraice eruditus commentarios reliquit in plerosque libros V. T. in *Matthaeum*, et in *Epist. S. Pauli* fere totos ex Hieronymi, aliorumque Patrum scriptis compilatos, quibus mysticas hic illic expositiones de suo adiecit.

Saeculo XII doctores scholastici proprie dicti apud Latinos incipiunt, qui usque ad saeculum XVI tantam sanctitatis ac doctrinae famam in Ecclesia reliquerunt. Ex his multi praeter philosophicas ac theologicas lucubrations, Scripturae quoque commentariis in-

claruerunt. Praeter Nicolaum Liranum, et Paulum Burgensem superius laudatos hic commemorare sufficit S. Bernardum Doctorem melliflum, Petrum Lombardum magistrum sententiarum dictum, B. Albertum M., S. Thomam Aquinatem, et S. Bonaventuram.

S. Bernardus († 1157) Claravallensis Abbas licet commentarios proprie dictos non scripserit, pluribus tamen sermonibus varias Scripturae partes, imprimis Canticum Canticorum (Serm. LXXXVII) et *Evangelii* lectiones exposuit, ita tamen ut non tam de erudita sensus literalis interpretatione sollicitus sit, quam de allegorica et mystica, in qua persequenda mira sagacitate, profunditate ac unctioe pollet.

Petrus Lombardus († 1164) praeter celebre opus *Sententiarum* scripsit *Glossas in Psalmos*, et *Collectanea in Epistolas Pauli*. In primo opere uberiorem glossae interlinearis explicationem praebet, in altero praecipuas Patrum expositiones colligit, digressiones explicationesque dogmaticas addit, et per scholasticas divisiones ac distinctiones progreditur.

B. Albertus M. († 1280) S. Thomae magister in omni scientiarum genere summus inter innumera alia scripta quae tomis XXI in fol. comprehensa sunt in editione Lugdunensi anno 1651, plura exegetica reliquit, scilicet *Commentarios in Psalmos*, in *Lamentationes* Ieremiae, in *Baruch*, in *Danielem*, in *duodecim prophetas minores*, in *Quatuor Evangelia* et in *Apocalypsin*, praeter *Orationes* super *Evang. Dominicalia* totius anni, et *Sermones* multos, in quibus facta vel dicta biblica explanat. In his omnibus literalis sensui interpretando potissimum attendit.

S. Thomas Aquinas († 1274) *Doctor Angelicus* in plures Scripturae libros commentarios composuit qui in editione Romana S. Pii V iussu confecta occupant tomos XIII-XVI. Sunt autem *Comment. in Iob*, in *Quinquagenam psalmorum*, in *Cant. Cant.*, in *Isaiam*, in *Ieremiam* et *Threnos*, *Comment. in Matthaeum*, et in *Iohannem*, *aurea catena ex patribus contexta in quatuor Evangelia*, *Comment. in omnes S. Pauli Epistolas*, et *Sermones de Tempore*. Ex his Commentariis in Epistolas Paulinas ceteris praestat, et certe optimis in hanc Scripturae partem commentariis est accensendus. Si Angelicus Doctor linguas biblicas, imprimis hebraicam, calluisset, ceterisque scientiae biblicae subsidiis copiosius instru-

ctus fuisset, fortasse ceteros latinos interpretes superasset, his vero subsidiis aliquantum destitutus commentarios suos in S. Scripturam non potuit ad eam perfectionem adducere, quam eius philosophica, et theologica scripta attigerunt, ubi inter ceteros scholasticae scientiae tractatores sicut aquila volat.

S. Bonaventura († 1274) *Doctor Seraphicus* opera exegetica reliquit sequentia: *Expos. in Hexameron*, in *Psalms*, in *Ecclesiasten*, in *Sapientiam*, in *Lamentationes Ieremiae*, in *Cap. VI. Matthaei*, in *Evangelium Lucae*, et postillam in *Evang. Iohannis*. Expositiones S. Bonaventurae minus scholasticae et litterales sunt quam Alberti M. et S. Thomae, sed ad pietatem fovendam peculiari quadam efficacia pollent, eoque nomine a Gersono et Tridonio imprimis commendantur. Post editionem romanam operum S. Bonaventurae Romae 1588, 8 Vol. in fol. aliasque duas Lugdunensem 1668, et Venetam 1751-56, alia nunc critica editio a P. Fiddeli de Fanna Ord. Min. paratur.

Ex duobus sequentibus saeculis XIV, et XV praecipue sequentes expositores commendandi sunt.

Petrus de Alliaco († 1396) Cardinalis inter alia opera dogmatica et ascetica scripsit *Expositionem anagogicam Orationis Dominicae*, item *Salutationis Angelicae*, *Meditationes in Psalmos poenitentiales*, in *Psalmum XXX* et alios quosdam, item *Verbum abbreviatum supra librum Psalmorum*, *Meditationem in Cantica N. T.* et *Expositionem in Cant. Canticorum Salomonis*.

Alphensius Tostatus († 1455) Abulae in Hispania Episcopus, unde etiam *Abulensis* dicitur, qui ob feracissimum ingenium, et innumera opera quae conscripsit (XXVII volumina in fol.) *stupor mundi* appellatus est, praecipue in Scripturis interpretandis insudavit, et commentarios reliquit in *Genes. Exod. Levit. Num. Deuter. in Iud. et Ruth*, in *libros IV Reg.*, in *Paralip.* et in *Evang. Matthaei*, qui licet multa accurata et utilia contineant, tam prolixi tamen sunt (occupant primos XXIV Tomos in fol. editionis Venet. 1728), et tam multis quaestionibus, ac digressionibus repleti, ut amplius non legantur.

Dionysius Carthusianus († 1471) in omnes fere libros utriusque Testamenti commentatus est, eiusque opera magnam famam per illam aetatem adepta sunt.

Johannes de Turrecremata († 1468) *scholia in Psalmos* atque *Epistolas Paulinas*, maximam partem ex veterum commentariis compilata exaravit, quae soliditate et claritate se commendant.

Huc etiam referri possunt superius laudati *Nicolaus Liranus*, et *Paulus Burgensis*, quos nonnulli reliquis omnibus huius aetatis interpretibus anteponunt. Alii doctissimi viri huius temporis ut *Jo. Gerson*, *Dominicus Iacobatius*, *Franciscus Zabarella*, *Taulerus*, *Card. Bessarion* alique potius quam Scripturae expositioni Theologicis disputationibus operam dederunt, imprimis circa Papae et Concilii potestatem occasione schismatis occidentalis, item Canonum sacrorum scientiam, vel mysticam Theologiam excoluerunt.

CAPUT IV.

EXEGESIS RECENTIORUM SAEC. XVI-XIX.

Cum saeculo XVI pseudo-Reformatio Ecclesiae vestem inconstitutilem sciderit, biblica exegesis, quemadmodum omnis theologia, in duas diversas et contrarias partes divisa est Catholicorum nempe et Protestantium. Ex utraque autem parte tot scriptores, totque opera exegetica prodierunt, ut vix numerari possint. Sufficiat hic celebriores quosdam ac praecipuos indicare primum quidem ex Catholicis, tum vero ex protestantibus.

ARTICULUS I.

PRAECIPUI CATHOLICI INTERPRETES RECENTIORES

Quamvis nonnulli ex primis huius aetatis doctoribus ante concilium Tridentinum, et ante propagationem errorum Lutheri scripserint, eas tamen hic referemus, deinde vero posteriores Concilio Tridentino laudabimus.

Card. Caiet. De Vio († 1535) ob theologicam scientiam, et imprimis ob commentarios in summam S. Thomae celeberrimus, in Scripturas quoque commentarios conscripsit. In his tamen non modo eandem gloriam adeptus non est, sed contra severam pene omnium reprehensionem incurrit, ita ut Pallavicinus in loco alias citato, quam-

vis eum defendere conetur ab hereseos imputatione, quam Canus et Prateolus ei inusserant, fateatur tamen eum gloriam suam ob exegetica scripta obscurasse, eaque pulcherrimi pavonis pedibus comparanda esse. Praecipuum Caietani vitium est quod a recepta Patrum sententia facile discedat, et Vulgatae Latinae lectionem non modo non sequatur (nova sibi comparata latina versione) sed etiam frequentius quam par est impugnet. Ceterum ad Caietani excusationem illud praecipue valet quod ante Concilium Tridentinum, eiusque Decretum de Vulgatae authenticia, et de Patrum consensu sequendo in Scripturae interpretatione, libros suos ediderit. Extant Caietani *Commentarii* in omnes libros utriusque Testamenti, exceptis Prophetis et Apocalypsi. Eius opera edita sunt Lugduni 1739, 5 vol. in fol.

Erasmus Rotterodamus († 1536) in classica literatura, et in critica doctissimus, liberioris tamen ingenii, et in opiniones parum orthodoxas proclivis, praeter alia innumera scripsit *Adnotationes, et Paraphrases in Novum Testamentum*, quae continentur in to. VI et VII operum edit. Basileae 1540. Si caute legantur magno usui esse possunt ad historicam et grammaticam Scripturae interpretationem.

Franciscus Vatablus († 1547) celebre edidit opus *scholiorum in universam Scripturam*, quae brevitate simul et soliditate studiosis utilissima sunt. Notandum tamen est eadem scholia cum interpolata fuissent, ut probabilis videtur, ab hispanica Inquisitione prohibita olim fuisse donec corrigantur.

Hieronymus Oleaster († 1553) theologus regis Lusitaniae apud Concilium Tridentinum *Commentarium in Pentateuchum* vulgavit, qui eruditorem omnium laudes promeruit.

Andreas Masius († 1573) in hebraica et orientali literatura supra quam dici potest versatus *Commentarium* scripsit in librum Iosue mira eruditione refertum, licet quaedam minus orthodoxa contineat quorum causa in Indicem librorum prohibitorum relatus est donec corrigatur.

Cornelius Iansenius († 1576) Gandavensis episcopus, et Concilii Tridentini Theologus, inter optimos Scripturae interpretes certe collocandus est. Praeter *Commentarios in Prov. Ecclesiasten, Sap. et Psalmos* praecipuum eius opus est: *Concordia Evangelica, et Comment. in Concordiam Evangelicam*, quo nihil melius ad Evangeliorum explicationem haec aetas protulit.

Iohannes Maldonatus e S. I. († 1583) plures scripsit commentarios qui ab auctore coram frequentissimo auditorum coetu olim traditi nonnisi aliquot annis post eius mortem vulgati sunt, nempe *Comm. in Prophetas Ieremiam, Baruch, Ezechiel et Daniel; Scholia in Psalmos, in Proverbia in Cant. Cantic., Ecclesiasten et Isaiam*: imprimis vero *Commentarium in Quatuor Evangelia*, qui primum editus est Mussiponte (Pont-à-Mausson) anno 1596 in fol. deinde vero pluries, et in variis locis ob summam eius praestantiam, atque utilitatem. Maldonatus in praefato opere optima interpretationis specimen, ac veluti exemplar reliquit. Literalem sensum subtiliter ac solide exponit, usum loquendi ex penitiori scientia qua pollebat graecae et hebraicae linguae ad mentem auctoris indagandam feliciter adhibet, veterum Doctorum commentarios et varias expositiones accurate proponit et iudicat, varias quoque lectiones sive textus, sive versionum, cum opus est, animadvertit, in dogmaticis locis praesertim contra Protestantium errores exponendis ac vindicandis doctissime versatur, stylo demum nitido, robusto atque eleganti ubique utitur. Ipse Iahnus, alioquin parvus similium auctorum laudator, Maldonati commentarium commendat, et lectu dignum iudicat.

Alphonsus Salmeron e S. I. († 1585) Concilii Tridentini theologus *Commentarios* reliquit in omnes libros N. T., excepta Apocalypsi, quibus praemisit *Prolegomena* generalia in S. Scripturam, et specialia in Quatuor Evangelia, quae in magno pretio habentur.

Emmanuel Sa († 1596), *Iacobus Tirinus* († 1636), *Stephanus Menochius* († 1655), et *Iohannes Mariana* († 1624) omnes e S. I. breviores adnotationes in S. Scripturam ediderunt, quae studiosis utilissimae sunt cum paucis verbis multa contineant, et saltem plerumque optimam uniuscuiusque loci interpretationem clare proponant. Ceteris praestat editio Menochii cum additionibus et dissertationibus *P. Tournemine*, quae prodiit Parisiis 1749 III vol. in fol., et iterum Venetiis 1722.

Benedictus Pererius e S. I. († 1610) commentarios in V. T. scripsit ab ipso Rich. Simonio et aliis severioribus valde laudatos. *Nicolaus Serarius* S. I. († 1609) praeter notissima *Prolegomena biblica* *Commentarios* exaravit in libros historicos V. T. et in Epistolas Catho-

licas, et ob linguarum peritiam et accuratam sensus expositionem passim commendatur.

Guillelmus Estius († 1613) universitatis Duacensis Professor et Cancellarius edidit *Commentarios in Epistolas Paulinas* et *septem Catholicas*, qui a pluribus reputantur optimi inter Epistolarum commentarios, licet aliquando (praesertim in Epistola ad Romanos) ad damnatas de gratia et praedestinatione sententias, quae tunc temporis a Baio eius magistro disseminabantur aliquantum inclinet, ideoque in his caute legendus sit, et benigne explicandus. Eiusdem fere pretii sunt eius *Adnotationes in difficiliora loca S. Scripturae* primum Antuerpiae 1621 et deinceps alibi saepe recusae.

Gaspar Sanctius S. I. († 1628) inter optimos Scripturae interpretes certe adnumerandus est, et unus est ex illis qui in ducem et exemplar interpretationis tuto eligi possint. Praeter styli perspicuitatem, et elegantiam, admirabilis in eo est expositionis soliditas, maturum iudicium, et ingenuus candor in occurrentibus difficultatibus sine ulla dissimulatione agnoscendis et enodandis, ita ut a Calmeto omnium interpretum, quos ipse noverat, praestantissimus vocetur (Calmet Bibl. Sacra adnexa eius Dictionario biblico). Edidit *Commentarios* in historicos libros V. T., in Iob, in Canticum, in omnes Prophetas et in Actus Apostolorum. *Commentarii in Iob et in Isaiam* ceteris fortasse praeferendi sunt.

Gilbertus Genebrardus († 1597) Ord. S. Ben. Sorbonicus doctor, et Card. Rob. Bellarminus S. I. († 1621) egregios ediderunt *commentarios in Psalmos*, qui theologis aequae ac sacris concionatoribus magno usui sunt. Idem dicendum de *Ioh. Lorini* († 1634) *Commentario* in Psalmos, qui addi solet commentariis Cornelii a Lapide. Eiusdem commentarii in alios plures libros Veteris et Novi Testamenti magni etiam aestimantur ab eruditissimis, imprimis vero eius commentarius in Actus Apostolorum.

Cornelius a Lapide (Van der Steen) S. I. († 1637) sanctitate vitae, et orationis studio non minus quam scientia clarus, cum Scripturas diu publice exposuisset tum in Universitate Lovaniensi, tum Romae, Commentarios scriptos reliquit in totam Scripturam utriusque Testamenti, exceptis tantum libris Iob, et Psalmorum. Huiusmodi commentarii in tanto pretio habiti sunt ut, licet magis molli, pluries tamen variis in locis recusi fuerint et omnium

manibus terantur. Ingens sane doctrinae biblicae, theologicae, et asceticae thesaurus in his continetur: quamvis auctor in quibusdam locis magis mysticae et allegoricae interpretationi, ac piis digressionibus indulgeat, quam literalis sensus accuratae interpretationi, ideoque sacro concionatori et animarum pastori saepe acceptior sit et utilior quam studioso interpreti. Verum commentarii in *Pentateuchum* et in *Epistolas Paulinas* sub respectu etiam literali optimi sunt et aliis operis partibus merito praeferruntur. Originalis editio Cornelii a Lapide prodiiit Antuerpiae 1681 seqq. quam plures aliae sequuntur sunt etiam recentissimae ut Melitensis 1843, Neapolitana 1854, Parisiensis 1868 etc. Commentarii in Iob et Psalmos in variis editionibus varie suppleti fuerunt, generatim tamen appositus est commentarius Lorini in Psalmos, et Pineda in Iob.

Iohannes de Pineda († 1637) S. I. Hispanus in literatura classica et Orientali prorsus eximius, praeter quaedam opera hispanice scripta, Latinos *Commentarios* edidit in librum *Iob*, in *Ecclesiasten*, item Praelectionem sacram in *Cant. Cantic.* et de *Rebus Salomonis libr. VIII*, qui ab omnibus non modo catholicis, sed etiam eterodoxis exegetis summis laudibus feruntur, tanta est expositionis claritas, diligentia et soliditas, quae in eis ubique elucet. Commentarius in Iob. libris XIII comprehensus ceteris praeferritur solet.

Iacobus Bonfrerius († 1642) S. I. praeter celeberrima *Praeloquia* in totam S. Scripturam Commentarios egregios scripsit in plures Scripturae libros: quorum tamen nonnulli nondum lucem aspexerunt. Extant impressi *Pentateuchus Moysis commentario illustratus* Antuerpiae 1623 fol., *Commentarii in libros Iosue, Iudicum, et Ruth.* Parisiis 1631 in fol. In his omnibus profunda Scripturae scientia, linguarum Orientalium notitia, archaeologica eruditio ubique deprehenditur, et lectoris desiderio solida, accurata, simulque sobria expositione fit satis. Commentarius in Pentateuchum reliquis praefereendus videtur et a nonnullis criticis habetur ut praestantissimus inter omnes Pentateuchi commentarios.

Io. Baptista Du Hamel († 1706) presbyter Oratorii cum se studiis Scripturarum devovisset, post plura alia opera philosophica, et theologica edidit *commentarium in Psalmos*, et *Adnotationes in libros Salomonis, et Ecclesiasticum*, ac demum extremo vitae anno decrepita iam aetate praecipuum suum opus vulgavit cum hoc

titulo: *Biblia Sacra Vulgatae editionis... una cum selectis adnotationibus ex optimis quibusque interpretibus excerptis, prolegomenis, novis tabulis chronologicis, historicis et geographicis illustrata*: Parisiis 1706. Titulus indicat quid in hoc opere contineatur. Prolegomena quamvis breviter, introductionem quamdam exhibent in totam Scripturam, textus Vulgatae accuratissime est impressus, adnotationes bene selectae et ordinatae sunt, demum in appendice tum chronologia tum geographia sacra quantum satis est exponitur, et de ponderibus, mensuris ac monetis Hebraeorum deseritur. Quare opus studiosis S. Scripturae, iis praesertim qui maioribus Commentariis pervolvendis sive tempus, sive opportunitatem non habent, utilissimum est.

Bernardinus a Piconio (Pequigny) Ord. Min. Cap. († 1709) commentaria scripsit in Evangelia, et in Epistolas Paulinas; hoc alterum opus longe celebrius, quod etiam superius laudavimus, hunc titulum praesert: *Triplex expositio Epistolarum Divi Pauli*. Parisiis 1703, et iterum gallice 1706, ac deinceps saepius latine recusum est. In hoc opere pius et doctus auctor nihil omisit quod ad textus intelligentiam, et ad lectorum utilitatem conferre posset. In singulis capitibus Epistolarum post latinam Vulgatam et gallicam versionem, ponit primo accuratam totius capituli *Analysim*, tum vero claram, et bene digestam *Paraphrasim*, deinceps *Commentarium* satis amplum, cum criticis etiam et philologicis, ubi opus est, animadversionibus, ac denique expositionem claudit per *Collarium pietatis*, morales et mysticas observationes, et conclusiones continens, cum piis etiam affectibus subiecto respondentibus. Hisce de causis opus istud a Clemente XI peculiari elogio honestatum est, et a Scripturae Sacrae studiosis, qui scientiam biblicam, ut par est, cum pietate coniungere amant ceteris Epistolarum Pauli commentariis praefertur: hinc etiam plures eiusdem editiones variis in locis recentius apparuerunt.

Augustinus Calmet († 1757) Ord. S. Ben. summam celebritatem adeptus est ob diffusum commentarium in totam S. Scripturam, quem primum gallice edidit sub titulo: *Commentaire literal et critique sur tous les livres de l'ancien et du nouveau Testament*. 23 Vol. 4°, 1707-13, iterum, ac tertio postea recusum, ac denique a Io. Dom. Mansi in latinum conversum et editum Vene-

tiis 1754 seqq. VIII Vol. fol., quae latina versio cum eiusdem Mansi correctionibus et notis nunc fere tantum adhiberi solet, et saepius in Italia, et in Germania impressa est. Opus Calmeti, quidquid dicat Lahnius in Enchiridio §. 62, summi faciendum est ad doctam et scientificam Scripturae notitiam sibi comparandam. Auctor enim omnigena eruditione pollens literalem sensum solide investigat et evolvit, diversas Patrum aliorumque interpretum expositiones refert et discutit, textus originarios, et varias versiones ubi opus est citat, historicas demum, chronologicas, geographicas res aliaque id genus melius quam plerique antiquiores commentatores illustrat: ad haec *Prolegomena generalia* satis ampla toti operi praemittit, singulis autem libris doctas *Praefationes*, et eruditas *Dissertationes* de rebus difficilioribus apponit, quae a nonnullis ipsi commentario praefertur solent, et simul collectae seorsim pluries editae fuerunt: hisce omnibus cumulum imponit *Dictionarium biblicum*, in quo notitias rerum biblicarum ordine alphabetico dispositas sistit, una cum *Bibliotheca sacra* seu indice praecipuarum editionum S. Scripturae, variarum versionum, interpretum et criticorum biblicorum etc., quod pariter latine conversum prodiit Venetiis 1766, 2 Vol. fol., et commentario adiungi solet: ita ut integrum Calmeti opus ad instar bibliothecae haberi possit, et fere unum Theologis sufficere possit. Dissimulandum tamen non est quaedam minus explorata apud Calmetum reperiri, nonnulla etiam parum ordinate digesta, obiectiones etiam aliquando non satis plene ac solide refutatas. Opus quod vulgo dicitur *Bible de Vence* vix aliud est quam epitome operis Calmeti imprimis eius Dissertationum ab illius Ecclesiae presbytero accurate et docte adornata XIV Vol. 4° 1748-50, quae deinceps cum additionibus Avenione recusa est XVII Vol. in 4° et vocari solet *Bible d'Avignon*.

In altera parte saeculi elapsi et in nostro XIX saeculo admodum pauci inter Catholicos commentarios in S. Scripturam ediderunt, cum longe plures Criticae biblicae, aut Introductioni illustrandae adlaboraverint, quemadmodum necessarium videbatur ad rationalismi biblici errores refellendos, et revelationis iura tuenda. Omittendi tamen non sunt nonnulli qui Scripturae expositiones dederunt.

Imprimis autem laudandi sunt qui versiones Scripturae vernaculas ediderunt cum doctis piisque adnotationibus, ut *Martini* in Italia, *Allioli* in Germania, *Kenrick* in Statibus foederatis Americae et alii de quibus inferius sermo erit.

Johannes Iahn († 1816) praeter nota opera de *Introductione* in V. T., de *Hermeneutica* et de *Biblica Archaeologia*, edidit *Fasciculos duos Exercitationum caegeticarum* Vindoboni 1813-15, ubi praecipua de Christo vaticinia V. T. exponit: in his, quemadmodum in reliquis operibus, vir sagacis ingenii, et vastae eruditionis a catholico tamen sensu et Patrum traditione non semel declinat, ac merito orthodoxorum reprehensionem incurrit.

Io. Nepom. Alber. clericus Regularis Schol. Piar. Pesthini in Hungaria S. Scripturae et linguarum Orientalium professor praeter opus de hermeneutica biblica alias laudatum, in quo Iahnii praesertim errores ac liberiores opiniones refellit, edidit latinum Commentarium in totam S. Scripturam Pesthini 1801-4 XVI Vol. in 8°, in quo profundam Scripturae scientiam, linguarum peritiam, familiaritatem in SS. Patrum scriptis, et sensum apprime catholicum ostendit: theologis utilis est eo etiam nomine quod rationalistarum, et incredulorum errores nunquam omittit indicare, ac refutare.

P. Four. Ackermann Canonicus Reg. Lateran. praeter alia opera edidit *Prophetas minores perpetua adnotatione illustratos*. Vindobonae 1830, ubi sacri textus expositio docte, et accurate proponitur, et philologiae orientalis ad verborum sensum determinandum copiose adhibetur. Hic opportunum erit notare recentiores interpretes huius postremi saeculi ampliore philologiae usum in Scripturis exponendis fecisse quam antiquiores, idque non solum in Protestantibus, sed et in Catholicis plus minus observari. Utrum hoc in emolumentum, an in damnum sacrae Exegeseos cesserit difficile est iudicare. Hoc unum animadvertere licebit recentissimos commentarios hac methodo exaratos quamvis in minoribus rebus aliquando melius lectori satisfaciant, saepe tamen aridos, et ad movendos animos, virtutisque studium fovendum minus idoneos inveniri.

Daniel Tobenz Can. Reg. Claustro neoburgensi commentarium edidit totius N. T. in usum concionatorum, et sacerdotum curam animarum habentium Vindobonae 1801, 1804-06 II Vol. in 4°.

Huc etiam pertinet editio germanica totius Scripturae completens novam versionem ex textu originario, paraphrasim, et brevem commentarium, quam Dominicus Brentano Canon. Campodunensis incepit, Tadd. Al. Dereser continuavit, et Augustinus Scholz ad finem perduxit, quae licet nonnulla reprehendenda contineat, ab eruditis laudatur. Totum opus emendatius prodiit Francofurti 1820-35.

Alii plures unum tantum vel alterum Scripturae librum iuxta recentiorum methodum explanandum susceperunt. Huc pertinet *Io. Leon. Hug* Nova expositio in Canticum (germanice) Friburgi 1813, eiusdemque defensio ibid. 1813; *Io. Henr. Kistemaker*, Canticum Cantic. illustratum ex hierographia Orientalium. Monasterii 1818. *Henr. Klee* Commentarius in Evangelium Iohannis. Moguntiae 1829, et in Epistolam ad Hebraeos ibid. 1833: *Mart. Jos. Mach* Commentarius in Epistolas Pastorales S. Pauli Apostoli (germanice) Tubingae 1836 valde laudatus, aliaque similia opera a Windischman, Lombe, Maier aliisque apud Germanos vulgata. Optimum commentarii specimen praebent *Jos. Schetta Bohuslav* Praelectiones in Evangelium S. Matthaei. Oeniponti 1847. Huc etiam pertinent *Theod. Beelen* commentarii alias laudati in Actus Apostolorum (Lovanii 1850), in Epistolam ad Philippenses (ibidem 1852) et in Epistolam ad Romanos (ibid. 1854). Et apud nos nota opera exegetica *P. Francisci Xav. Patrizi* in Evangelium Marci Romae 1862, in Iohannem 1857, in libros Machabaeorum, in Vaticinia Messianica, etc. quibus nuper accessit Commentarius in C. Psalmos italice sub titulo: *Cento Salmi tradotti letteralmente dal testo Ebraico, e commentati da F. S. Patrizi d. C. di G. Roma* 1875. Item alias laudatus commentarius in Librum Esther *Aloysii Coletta. Del libro di Ester commentario storico filologico di Luigi Coletta Prete Napoletano.* Napoli 1868-69, in quo historicus praesertim sensus fuse exponitur, et ad modum dissertationis critico-philologicae: cui similis est *Commentatio in librum Danielis prophetae, sive de temporibus gentium cum appendice.* Romae 1874 edita a *Guillelmo Palmer* viro doctissimo, genere quidem Anglo, et doctore Oxoniensi, sed post susceptam catholicam fidem Romae diu commorato, ubi nuper pie decessit.

ARTICULUS II.

PRÆCIPUI QUIDAM SCRIPTURÆ INTERPRETES PROTESTANTES

Quamvis apud Protestantes sana et perfecta Scripturas exponendi methodus inveniri non possit, plura tamen opera exegetica apud eos apparuerunt quibus ingenii, eruditionis ac diligentiae quaedam laus negari non potest, quaeque catholico etiam interpreti, si cum debitis cautelis legantur, usui esse possunt. De his pauca dicenda sunt.

Ex antiquioribus Protestantibus in Scripturarum expositione ceteros superasse videntur Drusius, Lud. de Deo et Grotius.

Io. Drusius (Driesches) saec. XVI Orientalium linguarum Lugduni Bataavorum, Oxoniæ in Anglia, ac demum Franecheræ in Hollandia professor praeter alia opera scripsit *Adnotationes in S. Scripturam*, quæ ad sensum literalem et grammaticum intelligendum, et usum loquendi biblicum addiscendum utiles sunt, quamvis hic illic protestanticos errores redoleant. Auctor hic pro sua aetate et secta satis aequum se praebet erga sanctos Ecclesiae Patres, aliosque interpretes catholicos.

Ludovicus De Deo (Louis de Dieu † 1642) praeses ac professor Lugdunensis in Batavia Universitatis magnam celebritatem adeptus est ob Orientalis philologiae et S. Scripturae scientiam. Scripsit breves et eruditae adnotationes in omnes fere libros Vet. et Novi Testamenti, quas seorsim variis temporibus ac locis edidit, nonnullae etiam post eius mortem tantum lucem aspexerunt. Deinceps vero collectae sunt in unum volumen in folio sub hoc titulo: *Critica sacra, sive animadversiones in loca quaedam difficiliora Vet. et Novi Testamenti* Amstelod. 1693. Adnotationes istae totae fere grammaticae ac philologicae sunt: errores tamen theologicos data occasione continent ac propugnant.

Hugo Grotius († 1645) item Batavus, praeter notum opus de Iure belli ac pacis, et plura opera theologica, scripsit *Adnotationes in V. T.* Parisiis 1664 III Vol. in fol. *Adnotationes in libros Evangeliorum, et varia loca S. Scripturae* Amstelod. 1644 fol., itemque in *Epistolam ad Philemonem* ibidem 1642, 8°. In his

profunda linguarum scientia, et omnigena tum sacra tum profana eruditio elucet, unde grammaticae locorum explicationi lux saepe affunditur. Attamen theologicum et propheticum Scripturae sensum auctor passim extenuat ac pessumdat, Pelagianismo et Arianismo favet, et in V. T. quod ad Christum totum respicit, Christum nusquam videt: quod illi non Catholici modo, sed etiam Protestantes saepe exprobarunt.

Antequam antiquiores Protestantes dimittamus mentio facienda est de magna biblicorum operum collectione, quam Anglicani Protestantes vulgarunt sub titulo: *Critici sacri*. Londini 1660, 9 vol. fol. et iterum Amstelodami 1698. Huius ingentis operis compendium deinceps editum est a Matthæo Poole sub titulo: *Synopsis Criticorum Sacrorum* Londini 1669-74, quae vulgo *Poli Synopsis* appellatur. In Criticis sacris non solum protestantes interpretes, sed etiam quidam catholici, quamvis pauciores, inserti fuerunt, ut Lucas Brugensis, Id. Clarius, Sim. De Muis, Sanctius aliique. *Synopsis criticorum* modo citata maiori etiam in pretio habetur quam opus maius; non solum enim maiori brevitate lectores iuvat, sed plura etiam melius selecta, et digesta continet ex auctoribus inter Criticos sacros non relatis.

Ex interpretibus saeculi XVII praecipui sunt Wetstenius, Michaelis, Rosenmüller et Kuinoel inter Germanos, et inter Anglos Henry, et Scott.

I. I. Wetstenius edidit: *N. T. cum comment. pleniore* 2 Tom. in fol. Amstelodami 1732, quod opus non obstantibus erroribus dogmaticis, utilitatem lectoribus non exiguam afferre potest ob accuratas criticas et philologicas observationes.

I. D. Michaelis novam edidit versionem Germanicam Sacrae Scripturae cum notis sub titulo: *Adnotationes in suam versionem V. T.* Editio 2.^a Gottingae 1773-87. XIII Tom. in 4° et *Adnotationes in N. T.* 1790-92 IV Tom. Huiusmodi adnotationes « maximam lucem affundunt antiquitatibus, historiae, et geographiae S. Scripturae » (Glaire. *Introduction* Tom. 1^o pag. 339).

Io. G. Rosenmüller pater, et *E. F. G. Rosenmüller* filius ediderunt scholia in totam Scripturam, quae ut praecipuum opus protestantium in hoc genere haberi possunt. Rosenmüller senior edidit *scholia in N. T.* quorum editio postrema et praestantis-

sima apparuit Norimbergae 1804-8. V Vol. in 8°; iunior autem vulgavit *scholia in V. T.* XVIII Vol. in 8°, quae pluries seorsim recusa fuerunt, et etiam in compendium redacta Lipsiae 1828 seqq. Utrumque opus utilitate non caret; auctores enim, quantum a viris protestantibus expectari poterat, literalem sensum accurate et subtiliter exponunt, aliorum interpretationes (etiam catholicorum) laudant, quinimo ipsa saepe verba nostrorum interpretum imprimis Sanctii, et Menochii exscribunt, et inter varias expositiones plerumque optimam seligunt: saepe tamen in scholiis V. T. offenduntur principia nimis libera, et rationalismo affinia.

C. T. Kuinoel inter praecipuos Protestantium exegetas referri solet ob eius *Commentarium* (latinum) in libros N. T. historicos, idest *Evangelia et Actus Apostolorum*, qui a Protestantibus tamquam perfectum specimen literalis seu philologicae interpretationis extollitur, et plures editiones habuit, quarum praecipua esse videtur Londinensis 1828. III Vol. in 8°. Catholicus tamen interpres licet philologicam eruditionem laudare debeat, plura tamen offendit in hoc opere rationalismo proxima in miraculorum praesertim expositione, et frigidam plerumque atque aridam corticis Sacrae Scripturae expositionem.

Matthaeus Henry minister Presbyterianus in Anglia in principio elapsi saeculi edidit *Commentarium in Vetus et Novum Testamentum* V Vol. in fol. quod a Presbyterianis et Evangelicis magni aestimatur, ideoque pluries etiam recusum est. Errores suae sectae passim tuetur, sed minus aridum est quam pleraque Lutheranorum commentaria, et mystica quodammodo ac pia interpretandi ratione utitur.

Thomas Scott Anglicanus minister sub finem elapsi saeculi edidit sua lingua: *Vet. et Nov. Testamentum, cum adnotationibus originalibus, animadversionibus practicis, copiosisque citationibus marginalibus*, quod opus ab omnibus Anglicanis aliisque Protestantibus, Angliae praesertim et Americae, in maxima aestimatione habetur. Optima eius editio est Londinensis 1822 VI Vol. in 4°.

Saeculo XIX plerique Protestantium exegetae rationalismi erroribus additi sunt, quorum opera hic recensere omittimus, praesertim cum saepe de his mentio facta fuerit imprimis in Sectione III secundae Partis. Attamen non defuerunt etiam inter recentissimos

Protestantes qui saniora interpretationis principia contra ingruentem rationalismum vindicare, et in praxim deducere omnibus modis conarentur, ut in prolegomenis innuimus. Ex his specialem laudem merentur E. W. Hengstenberg in sua celebri *Christologia V. T.* seu *Commentario in prophetias Messianicas* (germanice) Berolini 1829 seq. H. Olshausen in suo *Comment. super Scripturas N. T.* Koenigsbergiae 1836-37: F. Lücke in *Comment. super Scripta S. Iohannis*. Bonnae 1820-24; A. Tholück in *Comment. supra Evangelium Iohannis* editio V. Hambergae 1837, in *Epistolam ad Hebraeos* ibid. 1836, in *Epistolam ad Romanos* Berolini 1824.

Sufficiat hosce paucos ex Protestantium interpretibus nominasse. Longe plures non tam commentariis edendis operam dederunt quam philologiae sacrae, archaeologiae, geographiae, moribus et ritibus Hebraeorum, criticis quaestionibus aliisque similibus illustrandis, in quibus certe magnam laudem meruerunt, et omnium interpretum etiam catholicorum utilitati inservierunt, licet semper caute legendi sint. Horum nomina et praecipua scripta, ut Lowthii, Glassii, Spenceri, Relandi, Hodii etc. partim superius laudavimus, et iterum in brevi adumbratione Archaeologiae biblicae inferius commemorabimus.

FINIS

INTRODUCTIONIS EXEGETICAE

IN SACRAM SCRIPTURAM